

1273, juliol, 27

*Bernat Caperó i el seu nét, Pere Caperó, de Sant Gregori, capbreven a Guillem de Lledó, clergue, el seu capmàs i terres que tenen per indivís, per ell i pel monestir de Sant Daniel.*

ASD núm. 220, perg. orig., 160 x 280 mm, deteriorat.

Sit notum cunctis quod ego Bernardus [Caperoni et e]go Petrus Caperoni, nepos eiusdem de parrochia Sancti Gregorii, recognoscimus et in ueritate confitemur uobis Guilielmo de Letone clericu[m] quod nos et nostri sumus et debemus esse homines proprii et solidi [uestri et uestro]rum et quod tenemus et tenere debemus pro uobis et uestris et pro monasterio Sancti Danielis pro indiuiso totum nostrum capud mansum integre cum quintanis et omnibus quintanals que ha[bemus et tene]mus in parrochia supradicta. Item recognoscimus tenere et possidere pro uobis et dicto monasterio Sancti Danielis medium per medium quandam terram uocatam Guardioles, et tenemur inde prestare om[nibus annis] unam tascham bene et fideliter uobis et monasterio memorato, que diuiditur medium per medium inter uos et dictum monasterium, et tenemur etiam inde prestare braciaticum de predictis expletis [...]rem et debet esse ratione baiulie dicti mansi. Affrontat autem dicta terra ab oriente in honore mansi de Segalariis, a meridie in honore Bernardi Monerii. Item recognoscimus quod tenemus et tenere [debem]us pro uobis etiam quandam uinea et unum ortum qui est contiguus cum dicta uinea, loco uocato ad ipsas Planas, et quod tenemur inde prestare uobis unam tascham bene et fideliter de rac[emis]. Affrontat autem dicta uinea cum orto ab oriente in torrente de Reganou, a meridie in alueo Ticeris, a circio in nemore de Cartiliano. Item tenemus et tenere debemus pro uobis [qua]ndam aliam peciolam terre paruam, loco uocato Basses, et tenemur uobis inde prestare unam tascham expletorum. Item tenemus et tenere debemus pro uobis tandem quandam aliam terram cum nemore que est ibi contiguus cum eadem, in qua terra est uinea hedificata per nos in parte, loco uocato Pontunal, et teneriur inde uobis prestare unam tascham expletorum. Et affrontat ab oriente [in ip]sa uinea de Fauariis, ab occidente in honore de Cartiliano. Insuper confitemur et in ueritate recognoscimus quod prestamus et prestare debemus uobis ratione medietatis nostri capitnis mansi et pro quintanis quod uel quas tenemus pro uobis et prefato rrionasterio pro indiuiso et pro omnibus aliis possessionibus quas tenemus pro uobis, ut superius est expressum, duos solidos et octo denarios barchinonenses monete de temo et unum par gallinarum quolibet anno in festo Natalis Domini pro censu et unam quarteriam bladi boni et pulcri ex illo quod nos colligamus seu habeamus in honoribus nostris in festo Sancti Felicis annuatim de censu pro cibaria, promittentes bona fide per nos et per omnes nostros presentes atque futuros dare et prestare uobis et uestris dictum censem et alia superius comprehensa iuxta modum et formam superius annotatos, obligantes uobis et uestris ad hec nos et nostros et omnia supradicta que per uos tenemus ut superius continetur. Et quod sumus uobis et uestris fidelis et legalis sicut uero et naturali domino bona fide et sine aliquo enganno, et quod non faciamus aliquid quare uos uel uestros possitis nos amittere uel aliquis lucrari. Et iuramus ambo per Deum et eius sancta .nu.

Euangelia corporaliter tacta predicta omnia uobis atendere et complere et in omnibus obseruare et in aliquo non contrauenire iure aliquo siue causa.

Actum est hoc .VI. kalendas augusti anno Domini .MCCLXX. terci o.

Sig+num Bernardi Caperoni, sig+num Petri Caperoni, nepotis siue neptis eiusdem, predictorum, qui predicta omnia supradicta laudamus et firmamus et concedimus atque iuramus. Huius rei sut testes Bernardus de Pestellis et Petrus Torayes qui moratur com eodem Guilielmo de Letone in hospitale Sancti Petri.

Sig(s. man.)num Auinionis presbiteri et scriptoris iurati Sancti Petri de Gallicantu, qui hoc scripsit die annoque prefixo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 461-462